

monasterium, quod Cuntot dicitur, quod est in subur-
bio Constantinopolis civitatis

Tandem et per successum temporis isti Patres Cluniacenses traxerunt in suam confraternitatem et societatem, ecclesias, collegia, et monasteria usque ad numerum ferē cccxlv. Et sub ipsius abbatiae Cluniacensis subjectione fuerunt tam abbatiæ, prioratus, decanatus, præposituræ, officia quæ tam mediate quam immediate eidem subjecta, circa duo millia vel amplius.

Nunc de triumpho Patris domini Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis, quem in schismate Pontii abbatis septimi obtinuit, de versibus Petri Pietaviensis inserendo, pauca dicenda sunt : quém ille stylo nimium prolixo prosequitur (18).

*Jam tibi, Petre, novi celebrantur ubique triumphi,
Jam tibi sub pedibus pars inimica jacet, etc.*

Nunc etiam de gloriose sine Petri Venerabilis abbatii Cluniacensis dicendum est ex dictis Radulphi ipsius B. Patris monachi, qui vitam et mores tanti Patris descriptis, et ejus mortem.

Anno vero Dominicæ Incarnationis 1157, prima ipsius anni die, reverendus et cum multo amore recolendus dominus Petrus abbas viam universæ carnis ingressus est, et illa hora sancta anima ejus discessit, qua credimus Verbum Dei natum de Virgine matre. Et bene hanc horam ut ascenderet elegit, qui Nato descendenti humiliter semper servivit. Nascente ergo Christo Jesu de Virgine matre in terris, Petrus virgo assumitur in cœlis, ut qui gaudium singularis nativitatis devote celebraverit, cum peregrinis quandiu vixerat, modo in hora ejus nativitatis recipere fructum devotionis in sedē æternitatis. Factum est autem magnum miraculum in hac gloriensi Patris venerabilis abbatis Cluniacensis corporis et animæ separatione. Quia cum ipse sanctus migravit a corpore, ut nullum fieret impedimentum divinis officiis sanctæ matris Ecclesiæ, præcipue illius diei, dicta litanie ab episcopo, et finitis orationibus, desertur sancti Patris corpus ad locum, ubi corpora mortuorum lavabantur ; et ibi vestimentis nudatum glorificati hominis gratia cunctis videntibus et stu-

A pentibus apparebat. Erat enim corpus ipsius mortuum vitro purius, nive candidius, et mirabili quadam pulchritudine cœleste corpus in terrenis adhuc existens. Quis crederet illam sanctam carnem cilicio aliquando fuisse tectam, jejuniis afflictam, meditationibus et contemplationibus sanctis attenuatam, vigiliis maceratam ? Erat profecto jam quasi in quadam futuræ gloriæ transformatione splendidissimum sinè macula et ruga dotum cœlestium præsagium ferens. Osculabantur discipuli caput magistri, suggabant aquam quæ lavabatur, et unusquisque quod poterat rapiebat.

Sepultus est itaque beatus Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis in capite majoris et novæ basilicæ, cum magno honore et grandi dolore suorum filiorum, ab illustri et reverentissimo viro Wintoniensi episcopo.

Rexit itaque gloriosus vir Petrus Venerabilis hoc Cluniacense monasterium 34 annis, et quatuor mensibus, cum tribus diebus. Alibi tamen reperi quod rex 35 annis, et jacet juxta altare S. Jacobi, et retro armaria reliquiarum capsæ omnium sanctorum, juxta portam per quam itur retro chorum a manu dextra, cujus epitaphium sequitur :

*Paret in hac urna quod non sit vita diurna,
Qualescumque sumus morte coequat humus.
Dum Petrus moritur pius abbas, jus sepelitur,
Pax cadit, ordo jacet, flere morique placet.
Ille salus patriæ, mundi decus, arca sophiæ,
Nescius invidiæ, vena fuit veniæ.
In natale Dei solemnis mane diei
Mortuus, obtinuit plurima quæ meruit.*

ALIUD EPITAPHIUM.

*Tempore Bernardi Clarevalis floruit olim
Alvernus patria Petrus Venerabilis abbas,
Hic Cluniacensis, instructor catholicorum,
Contraque schismaticos, Judæos et Mahometos
Tractatus scribens, nec non volumina multa,
Sermones varios, dictamina prosa metroque.
Nobilis ille fuit, sed moribus altior omni.
Regnans perpetuo, nunc sedibus Omnipotentis
Supplicet assidue pro cunctis religiosis,
Præcipue nobis Cluniacensibus impetrat alta
Gaudia cœlorum, decurso tempore nostro
Hic Petrus vixit, qui cœlo lumina fixit.*

(18) Habentur infra cum cæteris ejusdem Petri Pictav. scriptis.

VETERUM TESTIMONIA DE PETRO VENERABILI.

(Bibl. Clun., p. 601.)

I.

S. Bernardus epistola 277, ad papam Eugenium pro abbe Cluniacensi.

Stultum videtur scribere ad vos pro domino Cluniacensi (19), et ei quasi velle patrocinium ferre,

(19) Petro scil.

D quem omnes sibi patronum habere desiderant. Sed scribo, etsi non necessarie illi, satisfaciens tamen affectui dico meo, non alterius; ipso enim quia corpore non possum, prosequor amicum peregrinatem. Quis nos separabit? Nec altitudo Alpium, nec

nivium frigora, nec longitudo itineris. Et nunc præ-
sens sum, in litteris his assistens illi. Sine me po-
terit esse nusquam. Debitor sum dignationi ejus,
per quam dignus habitus sum assumi in id gratiae.
Sed debito ipsa absolvit gratia, quia necessitas in
voluntatem transiit. Honorate virum, ut vere hono-
rabile membrum in Christi corpore. Vas est in ho-
norem, ni fallor, plenum gratiae et veritatis, refer-
tum plurimis bonis. Remitite eum cum laetitia,
quam plurimos de suo reditu laetificaturum. Digne-
mini eum ampliori, ut dignum est, gratia, et ita ut
de plenitudine ejus omnes, cum redierit, accipia-
mus. Sane si quid petierit, in nomine Domini Jesu,
non debet apud vos pati difficultatem. Nam si nesci-
tis, iste est qui manus suas extendit ad pauperes
ordinis nostri; iste est, qui possessionibus Ecclesiae
suæ, quantum cum pace potest suorum, libenter
frequenterque largitur ad victimum. In nomine Jesu
eur dixerim audite. Si enim petierit (quod suspicor
vereorque) dimitti a regimine monasterii, quis illum
noscens in nomine Jesu petere putet? Fallor, si non
solito timorat, si non se ipso melior factus sit,
ex quo vidistis eum, quanquam pene ab introitu
suo in multis ordinem illum meliorasse cognoscitur
verbi gratia, in observantia jejuniorum, silentii, in-
dumentorum pretiosorum et curiosorum.

II.

Idem epist. 285 ad eundem pro Gigniacensibus.

Apud Cluniacum occurrimus Gigniacensibus spe
pacis, pro qua laboratum multum, elaboratum ni-
hil. Nam totum quatriduanum laborem nostrum
sola demum secuta est ruina spei, etc. Si quidem
abbatia una, ne per singula evagemur, tota destruc-
cta est. Cæterum de tantis amissis multa dimittere
parati fuimus, cum illi tam minimum obtulerunt, ut
venerabilis abbas Cluniensis, qui affectuosius
quam efficiacius pro reformanda pace laborabat,
nec dignum relatu judicaret. Itaque non provenit
compositio, quia reparatio tam ridicula offerebatur.
Dicebant autem: Quidam maligni de nostris totum
malum fecerunt. Quid ad nos? Ipsi viderint, etc.
Denique ipse dominus abbas istiusmodi tergiversa-
tiones palam refellebat et convincebat, affirmans
juste ab Ecclesia repeti, quod per Ecclesiam amis-
sum esse constabat.

III.

Innocentius papa II in diplomate quodam ms.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, di-
iecto in Christo filio Theobaldo, priori monasterii
Sancti Martini de Campis, ejusque successoribus,
etc. Eapropter, dilecte in Domino fili Theobalde
prior, tuis petitionibus annuentes, Beati Martini mo-
nasterium, cui auctore Domino, ex venerabilis fra-
tris nostri Petri abbatis Cluniensis institutione,
præsides præsentis decreti auctoritate munimus,
etc. Datum Laterani per manum Gerardii S. R. E.
presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, x Kal. Apri-
lis, Incarn. Dominicæ an. 1142, indict. vi, pontificatus
vero domini Innocentii II, papæ an. xiv.

A

IV.

Eugenius papa III in alio diplomate.

Eapropter, dilecte in Domino fili Odo prior, tuis
justis petitionibus annuentes, beati Martini monas-
terium, cui auctore Domino, ex venerabilis fratris
nostri Petri Cluniensis abbatis institutione præsi-
des, quemadmodum cætera Cluniensis cœnobii
membra, sub beati Petri et nostra protectione su-
scipimus, et præsentis scripti privilegio communi-
mus, etc. Datum Parisius per manum Hugonis
presbyteri cardinalis, tenentis vicem domni Guidonis
S. R. E. cardinalis et cancellarii, vi Non. Julii, in-
dict. x, Incarn. Dominicæ an. 1147, pontificatus
vero domini Eugenii papæ III, anno III.

B

V.

Petrus ipse Venerabilis lib. II Miracul. c. 12.

Fratres et isto (Hugone II) ita subtracto, novæ
electioni diem statuunt, proximis quibusque et re-
motis, ut ad diem statutum convenient, indicunt.
Congregatur cum quibusdam episcopis et abbatibus,
multus monachorum populus, et in octavis Assum-
ptionis beatæ Virginis, utinam sibi melius consu-
lentes, in præsentium scriptorem conveniunt. Man-
dant jam dicto papæ hujus suæ electionis assensum
et ab eo rescriptum hoc quod fecerant confirmans
suscipiunt.

VI.

*Monachus Clun. anonymous in tractatu De reliquiis
S. Stephani protomartyris.*

C Has vero beati Stephani reliquias, nec non et den-
tem sancti Baptiste Joannis dominus ac venerabilis
Petrus abbas studio et diligentia, quam erga sacra
et divina omnia gerit singulis crystallinis phylacte-
riis, gemmis et auro pulcherrime decoratis includi
honestissime fecit, et unum ad dextram, aliud ad
sinistram super altare majus, in catenis argenteis,
sicut modo cernitur, appendi mandavit.

VII.

*Robertus de Monte in Supplemento ad Chronicon Si-
geberti an. Domini 1158.*

Calendis Januarii Venerabilis Petrus Cluniensis
abbas ingressus est viam universæ carnis.

VIII:

*D Matthæus Paris Histor. Angl. In Henrico II, sub
annum 1155.*

Per idem tempus Henricus Wintoniensis antistes-
tis premisso thesauro suo per abbatem Cluniensem
(scil. Petrum); absque licentia regis ab Anglia clam
recessit. Quapropter rex tria ejus complanari fecit
castella.

IX.

*Henricus de Gandavo lib. De illustrib. Eccles.
scriptoribus.*

Petrus abbas Cluniensis scripsit ad diversos
diversas epistolulas, sententiis utiles et verborum ve-
nustate placeentes. Scripsit etiam visiones et revela-
tiones quibusdam suo tempore ostensas.

X.

Nicolaus de Clamengiis cantor Bajocensis, epist. ad Galivum de Petramala.

Ex recentioribus autem primo Bernardus occurrit, deinde Ildebertus Cenomanensis, Ivo Carnotensis, Odilo, Hugo et Petrus Venerabilis abbates Cluniacenses, Hugo denique et Richardus canonici sancti Augustini Regulæ sectatores.

XI.

*Joan. Trithemius, lib. II Virorum illustrium ord.
S. Bened. cap. 125.*

Petrus abbas Cluniacensis, in Scripturis sanctis eruditus, et sacerdotalis doctrinæ non ignarus, ingenio et eloquio clarus, non minus religione et morum integritate, quam scientia venerabilis, scripsit sermones ad fratres utiles et elegantes lib. I De vita solitaria, lib. I, epistolarum ad diversos, lib. I. Scripsit etiam quædam mirabilia, et revelationes varias suo tempore factas, quæ a multis habentur. Alia quoque nonnulla edidit, quæ neandum vidi.

XII.

Idem Thithemius libro De scriptoribus ecclesiasticis.

Petrus abbas Cluniacensis, ordinis S. Benedicti, vir in divinis Scripturis iugi exercitatione doctus, ingenio placidus, sermone dulcis atque compositus, et ad persuadendum satis idoneus, conversatione devotus et laudabilis, ac regularis observantiae zelator insignis, nomen suum scribendo posteris notificans, ad utilitatem legentium quædam devota composuit opuscula, de quibus ista feruntur :

Relationes multorum lib. I.

De conversatione eremitica lib. I. Suscepi litteras tuas.

Epistolarum ad diversos lib. I.

Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad metitiam meam non venerunt.

XIII.

G. Paradinus, lib. II Histor. Lugdun. cap. 35.

Anno Domino 1157, erat Eraclius archiepiscopus Lugdunensis, frater Petri Venerab. abbatis Cluniacensis, ambo viri excellentes vitae sanctitate, et literarum scientia.

XIV.

Chronicum Rerum Burgundionum ad an. 1122.

Post Pontium Hugo fit trium mensium Cluniacensis abbas : et eo mortuo Petrus, cognomento Mauricianus, sive Venerabilis, cuius nonnulla scripta exstant, eidem cœnobio præficitur

XV.

Chonradus Gesnerus in Bibliotheca sua.

Petrus abbas Cluniacensis, ordinis S. Benedicti, scripsit Revelationes multorum lib. I, De conversatione eremitica lib. I, Epistolarum ad diversos lib. I. Ejus epistola ad D. Bernardum Clarævallis

A abbatem de translatione Alcorani, sive Sarracero rum legis ex Arabico in Latinum, impressa Basileæ apud Joan. Oporinum cum Alcorano.

XVI.

Antonius Possevinus in Apparatu sacro, tomo III.

Sanctus Petrus, cognomento Venerabilis, nobilis Arvernius, abbas Clun. IX, et generalis octavus, die octava Assumptionis beatissimæ Virginis renuntiatus an. 1123; postea functus officio generalatus annos 35, menses 4, et dies 4, obiit Cluniaci plenus virtutum, scientiæ ac dierum an. 1157, octavo Kal. Januar. ibidem sepultus inter altare SS. Jacobi et Philippi, et altare S. Dionysii. Scripsit autem

Revelationes multorum, lib. I.

B De conversatione eremitica lib. I, Suscepi litteras dilectionis.

Epistolarum ad diversos, lib. VI.

In quibus inseruit librum contra Judæos, et alterum contra Petrobrusianos hæreticos. Cum vero degeret in Hispania ex Arabico vertit in Latinum Alcoranum Mahometi, quem Cluniacum reversus confutavit, quinque doctissimis libris, qui et impressi sunt (20). Scripsit etiam

De miraculis sui temporis lib. II,

De transfiguratione Domini,

De laude sepulcri,

De S. Marcello papa et martyre,

De veneratione reliquiarum quarumlibet ser. I.

C Adversus negantes Christum nunquam se in Evangelii aperte Deum dixisse, epistolam uberem atque perutilem ad Petrum de S. Joanne.

De Vita S. Matthæi cardinalis Alban. lib. I.

De diversis monachis epitaphia.

Rhythmos de laude Salvatoris.

— De resurrectione.

— D. S. Hugone abbatte.

Hymnos de B. virginæ Maria.

— De S. Benedicto.

— De S. Maria Magdalena.

Prosam de ead. beatissima Virgine Maria.

Ejus autem quædam opera Parisiis excusa an. 1522 apud Damianum Hincman : et Ingolstadii apud Alexandrum Vissenhorn anno 1546.

XVII.

*Martyrologium monasticum Benedictinum, ad VIII
Kal. Januar.*

Cluniaci natalis sancti Petri Mauritii abbatis, doctrina et sanctitate clarissimi.

XVIII.

Kalendarium S. Leonorii Bellimontis.

Octavo Kal. Januar. depositio domini Petri Cluniacensis abbatis.

(20) Hos nec vidi, nec reperire potui, quamvis diligentissime quæsierim.